



Birzanowski Stanislai Jos: Elogium funebre

Nicolai Trzebiński, Praeposit. Krzęcimensis.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0002751

ELOGIUM
FVNEBRE

Jllustris olim & Admodum Reuerendi Domini,

D. NICOLAI
SRENIAVII
DE TRZEBINICE
TRZEBINSKI,
PRÆPOSITI KRZCĘCICENSIS,

ECCLESIÆ COLLEGIATÆ SS. OMNIVM CANONICI
CRACOVIENSIS,
CVRATI GAIOVIENSIS, DECANI ANDREOVIENSIS,

Dum
CRACOVIÆ, IN ECCLESIA COLLEGIATA SS. OMNIVM
IVSTA EI FVNEBRIA
Magno omnium dolore, & desiderio persoluerentur;

A

M. STANISLAO IOSEPHO BIEŻANOWSKI, *Leopolień: Philos: Doctore, Collega Minore, Ordinario Poëseos Professore.*

Sepulchralis obsequij affectu
Luci publicæ

CONSECRATVM.

Anno Dñi, 1669. *Die* 19. *Septembris.*



CASIMIRIÆ ad Cracouiam,
In Officina Typographica BALTHASARI SMIESZKOWICZ, S. R. M. Typ

ELOGIUM
FVNEBRE.


Ciùs è vita, in dimidio vitæ, nemo rapitur;
nisi qui casu, non proposito bonus, vitam in otium vertit.
Tractus illos diuturnioris vitæ, diesq; ad fastidium longos;
flumina putares, ægrè arenas suas lambentia:
Sed eheu!
Vorticosi plerumq; in ijs raptus, in Charybdes suas desinunt:
contrà, quos concitatiùs ad vltima agi,
in compendio dierum cernimus;
Symplegadas etiam lenissimè præteruecti, non hæsêre in puncto.
Mirùm hoc,
in vtramq; partem, conditionis humanæ Secretum;
cùm ex virtutis, non vitæ decursu pendeat; spatia non attendit.
aliud quippè in vita morari; mereri aliud;
quæ cùm fluminum ritu præterlabitur;
minimùm interest, quàm è longinquo;
sed quam ex vsu publico rectè, ad ostia immortalitatis decurrat.
Arcanum id, in SRENIAVIIS vndis, crystallo omni tersiùs;
compendium vitæ, in hieroglyphico suo, non tam ambitu, quàm vtilitate describit;
quæ vastitatem suam, Euphrati, Tigriq; non inuidentes;
non arenarum cum Pactolo, Hydaspeq; cumulos;
Sed aureos si vnquam tulêre viros;
JLLVSTREM certè olim & ADMODVM REVERENDVM
D. NICOLAVM TRZEBINSKI,
ex aureæ ætatis pretiosis ramentis,
Sanguine, Virtute, doctrinâ, probitate, zeloq;,
aureum æternitati intulêre Mystam.
Felix semper Sreniaua Heroibus,
vt non solas æternitati, coronas triumphales inferret;
regalis quoq; Sacerdotij coronâ, in TRZEBINIO decorus;
Natiuum eius ex Maioribus Spiritum, ad Heroicos pro DEO,
& Ecclesia transtulit actus:
& qui bellator in SRENIAVIIS.
Sanguine hostili purpuratus, trophæisq; insignis, Tanaim & Hebrum terruit;
Sacer in TRZEBINIO placidusq; decurrit.
Ex hoc fonte illi, aurea illa mens;
ad omnes probitatis & elegantioris doctrinæ vsus, tàm inclinata;
quam

quàm metallum hoc in plures laminas, facilè ducitur.
Tractabilem inde animum, ACADEMICA VNIVERS: CRAC: *Fallus,*
non fecisse, sed inuenisse gaudens;
auream in ore Suadam, Themidem in pectore Solidam,
breui composuit:
ad Sacrorum Canonum peritiam, eâ propensione;
quasi iàm tum incaluisset eo Spiritu, zeloq; quo deinceps pro domo
Domini zelauit;
ad Ecclesiæ vindicias natus.
Prælia Domini meditanti, experiri primùm pro Patria,
indolem SRENIAVIAM placuit:
quam vt non dissimilem, militari gloriâ illustri,
NICOLAO TRZEBINIO Patri, circumferret;
deuotum pro aris focisq; ad Beresteciam pectus,
contra hostes Patriæ, tàm Heroicè;
quàm ad Aras posthæc, contra hostes animæ, zelosè obtulit.
Impensum id Patriæ, præclaro experimento;
quàm in Diuinis olim acer, conteri etiam pro minimò putaret;
vt suus Ecclesiæ assurgeret honos.
Agebat eum exindè, cælestis ille Spiritualis vitæ impetus;
qui vt flumen eius SRENIAVIVM, totum DEO Sacrum faceret;
eam ciuitatem DEI, lætificare illud voluit;
cuius fundamenta in montibus Sanctis.
Priuilegium hoc Ecclesiæ Gaiouiensis præcipuum;
in qua Thaumaturga DEI Mater, sedem miraculis suis, cùm elegisset;
Secus decursus aquarum, pietatis TRZEBINIANæ,
amæniorem eam fieri voluit.
Ingens ea zelantissimo pectori occasio;
reuelauit illicò, quam verè Diuino ageretur Spiritu;
cùm moræ impatiens, omnia fecit in Spiritu noua.
Pima hîc Augustæ Maiestatis Virgineæ cura,
thronum illi suum, nouo Altaris operè, sumptuq; prouidit;
vt responsa indè, miraculaq; prodirent augustiùs.
Diuinos profectò prodigiosæ Iconis vultus, nunquàm aspexit;
quin totus animo accensus, ad noua eius ornamenta liquesceret;
deuotione populi, Pastoris sui exemplo, tàm animatâ;
vt ad beneficæ Virginis decora, manus omnium propè tornatiles viderentur.
Vnicum hoc pietatis suæ delicium reputans,
speciosam in delicijs suis Virginem,
cùm Sacram eius imaginem, auream propè faceret;
in laudibus eius eloquentissimo ore, aureus totus;
traxit aureis catenis corda, quæ ipsa traxit beneficijs:
effectu sanè felicissimo;
vt cùm zelantem pro Matre sua, speciosus præ filijs hominum, Filius videt;
præ

pro se quoq; zelare eum, in Præpositura KRZCECICENSI *faceret.*
Diuina hæc ardui operis Sparta, magno TRZEBINII animo digna;
vbi ad fontem lustralis aquæ, Apostoli Poloniæ D. ADALBERTI,
Apostolico planè Spiritu animatus, bonorum Ecclesiæ vindex,
vt ad fontem suum omnia redirent;
cùm labores, & impendia profudisset; vitam etiam impendit;
eâ constantissimi animi lætitiâ;
quod Ecclesiam KRZCECICENSEM, *officijs Diuinis, decoreq; suo etiam;*
ceu nouam de cælo descendentem Sponsam;
quod ex hæresi trophæum, Sacram D. NICOLAO ædem relinquens;
neminem magnis pro DEO cogitationibus, frustrà incumbere ostendisset.
Excelsum hunc animum mox sublimiora secuta;
cùm ob insignem Iuris Canonici peritiam, vitæ integritatem, agendi,
dexteritatem & prudentiam,
Magno ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS TRZEBICII iudicio,
ARCHIDIACONVS & OFFICIALIS SANDECENSIS renunciatus,
omnium propè iudicia ad applausus traxisset.
nisi ipse Prœlaturam hanc maximam putans, Prælati augere virtutes, non titulos;
iudicium de se tam honorificum, modestissimè exceptum;
in sinum, vnde venerat, maiori modestiâ deposuisset;
vel ob hanc solam animi magnitudinem, maioremq; titulis omnibus excellentiam;
plenus Ecclesiastici Spiritûs, verè ab aureo æuo
* PRÆLATVS.
Robur hoc animi in vita perpetuum;
exemplo vitæ, animarum zelo, agendi efficaciâ,
hæreseos profligatione, amore & vindicijs Ecclesiæ,
viuere infatigabilem, mori fecit inuictum:
tanto virtutum, in compendio vitæ, numero;
ceu longissimas Pylij Senis Olympiadas, numerasset.
Breue viuendi Spatium, meritis, non annis emensus,
inter omnium desideria, ipse viuendi desiderio nullo;
Satis eum, mortalem vitam vixisse putans; qui satis pro immortali egerit;
manu quidem ægerrimâ, sed robustissimo sanè Spiritu;
effigiè animi sui, verè Ecclesiastici, in supremis tabulis relictâ,
mirâ animi tranquillitate, momentum illud nouissimum excepit;
ad cuius memoriam, momenta vitæ omnia direxerat;
Vir planè in rem Ecclesiæ natus;
in cuius vindiciis vt vixerat totus; sic in augendis ex peculio suo,
pijs ad eam fundationibus, totus immori voluit;
dignus vtique, inter Ecclesiastici Spiritûs exempla,
æternùm viuere;
qui animâ ECCLESIÆ
V I X I T.

